

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS

Ad C. quamvis de Pactis in 6.

De

RENUNTIATIONE  
SUCCESSIONIS,

Quam

DIVINA ASPIRANTE GRATIA,

Ex

DECRETO, ET AUCTORITATE  
MAGNIFICI, ET AMPLISSIMI

JCT TORUM ORDINIS

in almâ, quæ Teutoburgi Clivorum floret,  
Academiâ Regiâ,

Pro Doctoratûs Laureâ, & Summis in utroque Jure  
privilegiis solenniter obtinendis

*Publico Eruditorum examini submittebat*

RUDOLPHUS BERNARDUS SCHAEP.

DOESBORGO - GELDRUS;

DVM posIta Vesana taCet BeLLona fVrore,  
Regnat & In toto gratior orbe qVies.

*Horis, locoque confuetis.*

---

DUISBURGI AD RHENUM,  
Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi.



DEO TER OPTIMO,  
M A X I M O,  
CUI OMNIS GLORIA  
TRIBUENDA,

*Rom. 11. 36. Eph. 3. 21.*

PARENTI VIDUÆ,  
QUÆ HONORANDA,

*Deut. 5. Exod. 20. Levit. 19.*

F R A T R I B U S,  
E T  
A M I C I S

Theses suas  
devotissimè offerebat  
R. B. SCHAEP.





Etrum cedro dignum, sed utinam illud  
sequeremur mortales, velut è tripode  
Delphico quondam cecinit Epigramma-  
tista Anglus:

*Vivere natura si convenienter amarent  
Mortales, medicâ nil opus esset ope.  
Si saperent homines, rixis avidisque  
carerent*

*Litibus, & queruli garrulitate fori.  
Sic incompositus post scrinia Bartolus iret,  
Et inus illectum roderet Hippocratem.*

Quot hac, superi! tempestate lites, & leges, quot sunt  
constitutiones? præter I. L. 9123. quæ passim in ss re-  
censentur, innumeræ in Jur. Can., publico, civili, feu-  
dali, & statutis locorum inveniuntur, quas omnes recen-  
sere velle est labyrinthum ingredi, ut non immeritò cum  
Just. Lips. l. 2. C. 10. de mon. & exemp. polit. dicere liceat:  
præter jus illud Romanum statuta, & decreta oppidatim,  
pagatim, populatim habemus; claudimur undique, &  
veluti obsidemur à legibus: Quid causæ est? lis leges,  
nova lex mille lites generat; adeo leges, quæ finiendis  
inventæ sunt litibus, lites quotidie generant, dum, quæ  
bonæ sunt, ad injuriam à pravis ingeniiis detorquentur.  
Nicol. Vernul. Inst. Polit. l. 3. tit. 2. nonnulli enim novis  
emergentibus casibus novas tentando statuere leges, nihil  
aliud agunt, quam resecare hydræ capita, ut resectis iis  
nova pullulent, Schonborn. polit. lib. 2. c. 7. Arnif. oper.  
polit.

polit. c. 17. de legib. vel , ut argutè , & acutè ait Seneca  
lib. 6. de benef. c. 5. argutas tractant ineptias. Nihil miri  
igitur, quod olim Justiniano valedixerit Petrarcha *de orig.*  
& *vita sua* inquiens : non quia legum mihi non placeret  
autoritas, quæ absque dubio magna est, & Romanæ an-  
tiquitatis plena, quâ delector, sed quia earum usus nequi-  
tiâ hominum depravatur; piguit itaque perdiscere, quo  
inhonestè uti nolle, & honestè vix possem, & si vel-  
lem, puritas inscitiæ tribuenda esset. Hinc Plin. l. 2. Epist.  
3. ait: nos, qui in foro litibus conterimus ætatem, mul-  
tum malitiæ , quamvis nolimus , addiscimus. Idem de  
ævo hoc corruptissimo censeri posset, ubi optat ephippia  
bos piger , optat arare caballus, Clericus arma gerit , præ-  
toria miles oberrat, in foro Monachus , in claustro Cau-  
sidicus auditur ; præesse subjecti ambiunt , non audit cur-  
rus habemas. Hæc ubi mecum pensiculatus volvi animo,  
me à Doctoratûs laurea suscipienda avocassent, ni Viro-  
rum insignium, quēis omnis ætas floruit , & etiamnum  
gloriatur , singularis virtus , & eruditio animasset ; pro-  
positi itaque tenax , non selegi materiem de patria Homeris  
dubiam , de Æneæ Matre verâ , vel an prius ovum  
fuerit, an gallina? de quo septem Sapientes apud Plutarch.,  
verum pauca quædam utiliora delibabo.

### Textus C. quamvis 2. de pactis in 6.

**P**actum Patri factum à filia, dum nuptui tradebatur,  
ut dote contenta nullam ad bona paterna regressum  
haberet, improbet lex civilis: si tamen juramento,  
non vi, nec dolo prestito firmatum fuerit ab eadem,  
omnino servari debet: cum non vergat in æternæ salutis  
dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.

§. I.

## §. I.

Ne pluribus utar parasangis, ipsam materiam ordior,  
 & dico ex allegato C. quamvis fatis liquere, quod juratæ  
 filiarum renuntiationes certis in casibus subsistant, quod-  
 que in Germania, & nonnullis in Regionibus invaluerint,  
 pleni sunt omnes libri, plena exemplorum vetustas, Vult.  
 Marp. conf. 29. n. 30. & 36. vol. 2. praxis quotidiana docet,  
 potestas longævi usus approbat, consuetudo, quæ vim  
 legis habet, admittit, Treut. v. 1. disp. 6. th. 8. litt. g. Gail:  
 l. 2. O. 39. n. 23. Schneidw. in pr. Inf. de legit. agnat. succeſ.  
 n. 10., adeo ut in re hac notoriâ, opus non sit probatio-  
 ne, c. 5. in fin. X. de consuet. de jure civili verò, quod pa-  
 ctâ circa hæreditatem viventis nulla sint, indubitatum est,  
 imprimis negativa per l. 94. ff. de acquir. vel omitt. hæred.  
 l. 3. C. de coll. l. 35. §. 1. C. de inoff. testam. l. fin. ff. de suis,  
 & legit. hæred. ne liberi retrahantur à paterno obsequio,  
 Zoël. ff. de pæctis n. 36. Deinde affirmativa per l. 61. ff. de  
 V. O. l. 15. l. 10. C. de pæct. l. 5. C. de pæct. convent. l. 4. C. de  
 inut. stipul. ubi in allegandis rationibus, ob quas hæc pa-  
 ctâ prohibita dicuntur, passim DD. opiniones concurrunt,  
 ego tamen his omnibus prohibitionem hanc non satis sta-  
 biliri autumo, prout ex dicendis cuivis examinanti pa-  
 tebit.

## §. II.

Dicant itaque alii ejusmodi pacta ideo jure Rom. esse  
 prohibita, quod inducant spem improbam, & votum ca-  
 ptandæ mortis, dicam ego pariter substitutiones, dona-  
 tiones omnium bonorum, testamentum nuncupativum,  
 & omnem successionem ab intestato, è quibus votum ca-  
 ptandæ mortis facile nascetur, lubrico niti fundamento.  
 Opponant hi cum Zoël. ad ff. de pæctis n. 21. Fachin. lib.  
 s. controv. c. 84. in fin. certos tantum esse modos, quibus

hæreditas defertur, testamentum scilicet, & legem, *arg.*  
*l. 1. ff. de hæred. petit.* & hinc pacta inter dictos mōdos  
 non esse admittenda; quo referunt, quod facultas succe-  
 dendi sit juris publici, *l. fin. ff. de suis, & legit. hæred. l.*  
*3. C. de testam.*, jus publicum autem pactis privatorum  
 tolli, & mutari nequeat, *l. 38. ff. de pactis:* interrogo,  
 quare testamentum, & lex sint tantum duo modi, qui-  
 bus Romani vim, & potestatem deferendi hæreditatem  
 concederint, quare hæc pacta non sint admissa? hic no-  
 dus gordius. Obmoveant illi, quod viventis nulla sit  
 hæreditas, neque pactis, neque stipulationibus dari possit,  
*l. 15. C. de pactis.* Non inficior, ast causam, ob quam id  
 sancitum, sciscitor? hic Rhodus, hic saltus; nec acquie-  
 sco *l. 20. non omnium ff. de LL.* Obtrudant, quod pacta  
 hæc successoria bonis moribus repugnant. Sed quare?  
 etenim quod liberam testandi facultatem adimant, nullam  
 involvunt turpitudinem, si enim negotia omnia liberta-  
 tem testandi auferentia bonis refragentur moribus, dona-  
 tionem omnium bonorum retento usufructu pari ratione  
 impugnabo.

### §. III.

Ne tamen videar

*Scilicet obstrepitans arguta vespa cicada,*

solus contra tot autoritates Andabatarum more non oblu-  
 etabor, genuinam illam è Statu Romano desumptam,  
 quam tum viva voce, tum suis in *περὶ τοῦ* mihi suggestis  
 Amplissimus, & Consultissimus quondam Professor meus  
 D. Summerman, *l. 2. §. 24. de pactis*, rationem placet in  
 verbis proponere: Lex, inquit, erat apud Romanos in  
 12. tabulis sancita, quæ negabat cognatos succedere pos-  
 se, sic ut omnis ab intestato successio tantummodo ad suos  
 hæredes, & Agnatos restricta fuerit. Secundum hanc  
 legem

legem eveniebat, ut intestato aliquo mortuo nullis suis hæredibus, vel agnatis extantibus hæreditas ærario deputaretur, & cognatis etiam proximis præriperetur, cum verò sæpiissime hoc aliter evenire potuisset, si civibus licuisset per pacta aliis hæreditatem promittere, seu addicere, hinc negarunt Romani posse pactis, vel stipulatiōnibus deferri hæreditates, cum cæteroquin hoc admissō plerumque cognati pacto prospicere potuissent, quotusque enim est, qui hæreditatem suam pacto potius nolit promittere cognatis, quam admittere velit, ut ea post mortem suam ad bona vacantia referatur, & levi etiam operā pacta circa futuram hæreditatem inter eos, de quorum successione agitur, & horum cognatos ita iniri poterant, ut subsisterent, &c. Hæc itaque est vera ratio, propter quam Romani in dicto statu populari ejusmodi pactis circa futuram hæreditatem initis omnem prorsus obligandi vim detraxerint, ne scilicet per illa ærario præjudicium inferri posset.

## §. IV.

His præmissis dico ex d. C. quamvis, quod renuntiatio sit successionis futuræ ex liberâ voluntate cum juramento à filia congruè dotata Patri facta remissio, Kellennb. de renunt. succes. q. 1. n. 4. unde constat de Jure Can. requiri juramentum, quod non tendat in dispendium æternæ salutis, & ideo servandum, C. 28. X. de jurejur. C. 2. in 6. eod. Panorm. de jurejur. C. si vero. n. 3. in materia peccati enim, & salutis Jus Canonicum servatur, c. 1. & 2. X. de nov. op. nunt. c. 3. de for. comp. in 6. Schurff. conf. 83. cent. 3. n. 6. Wesemb. conf. 44. n. 37. requiritur autem, ut ejusmodi juramentum habeat 3. comites, veritatem, judicium, & justitiam, c. 26. X. de jurejur. Engel ad 7. C. eod. n. 5. quibus concurrentibus novam for-

mam

mam renuntiationi , & novam obligationem conciliat, Kellenb. loc. cit. q. 2. n. 27. adeo ut adhuc hodieum opus sit juramento , nam dote constituta filiae , ac sorores Principum , & Comitum juramento ante factam copulationem , vel ingressum thori maritalis renuntiare debent haereditati , ac litteras reversales manu propriâ , & sponsi subscriptione munitas desuper edere coguntur , Andler in corp. constit. tom. 2. voc. Aufseuer n. 19. Pacta successorum non jurata , quæ approbavit Germaniæ consuetudo , Gail. l. 2. O. 126. & seq. , sunt mutua , Kellenb. loc. cit. q. 2. n. 30. Wel. conf. st. n. 45. Myns. resp. 49. n. 3. cum seq. decad. 3.

## §. V.

Statuunt nonnulli ad renuntiationem sufficere , si fiat per promissionem sub fide hen. Fürstl. / Gräfflichen Treu ; verum contrariæ sum opinionis , arg. C. omne. caus. 22. q. 1. , quamvis enim promissio illustrium Personarum secundum Germaniæ consuetudinem juramento æquipareatur , Gail. l. 2. O. 59. n. 1. Felin. in C. præterea. n. 15. de sponsal. Wesemb. conf. 10. n. 24. & seq. Schurff. conf. 37. n. 11. & 21. cent. 2. Nicol. Everh. conf. 48. n. 2. , hoc in casu tamen non sufficit ; ejusmodi enim promissio propriè non continet vim juramenti , nec per talia verba Deus vocatur in testimonium , Engel. ad 7. C. l. 2. tit. 24. n. 4. Deinde quoties actus in jure non valet sine juramento , illud præcisè requiritur , & forma in specie ad dispositionem requisita , per æquipollens non est adimplenda , l. 13. C. de testam. Accedit , quod foeminarum judicium sit fragile , C. 10. in fin. X. de V. S. & ideo necessarium videatur juramentum , ut prius sedulò ruminet filia , & tandem renuntiet , Kellenb. de renunt. succes. q. 3. n. 11. Nec obstat Germaniæ consuetudo , quâ videtur ejusmodi promissio habere vim jura-

juramenti, nam in iis tantum procedit, quæ ad sui valorem juramentum non requirunt, *ibid. n. 16.* nec consuetudine effici potest, ut tantum humanæ fidei, quantum religioni erga Deum, tribuatur.

### §. VI.

Requiritur ulterius juxta *d. c. quamvis*, ut tale juramentum non sit vi, aut dolo præstitum, nam filia vi (scilicet impulsivâ) coacta renuntians meretur restitucionem in integrum, etiamsi juramentum non vergat in dispendium salutis æternæ, ac propterea obliget, *c. 8. vers. duximus. X. de jurejur.* nam nullo modo ad opprobrium coactæ voluntatis trahitur, quod illicita conditio necessitatis extorsit, *caus. 22. q. 4. in fin. caus. 15. q. 6. c. 2.* Idem dicendum, si dolo sit decepta. *d. c. quamvis.* Nam interveniente dolo juramentum non obligat cum effectu, *Nicol. Everh. conf. 48. n. 7.* unde si filia falsis rationibus, vel persuasionibus ad renuntiandum fuerit inducta, non tenet renuntiatio, nec juramentum est servandum. *C. 18. X. de jurejur. C. 28. X. eod. l. 42. C. de transact.* multo minus obligatur filia, si ex metu renuntiaverit, vis enim, & metus sunt consensui maximè contraria, *l. 116. ff. de R. 7.* Per metum reverentiale tam non fiet irrita renuntiatio, *Gail. l. 2. O. 147. n. 16.* Mart. *tom. 3. cap. 23.* nisi minæ accesserint, quia talis timor idem operatur, quod justus metus, *Nicol. Everh. conf. 48. n. 10.* Fachin. *l. 2. contru. c. 95.* Cautelam pro filia, quæ invitò renuntiat, habet Gail. loc. cit. *n. 18.*

### §. VII.

Porrò, ut renuntiatio subsistat juxta *c. quamvis*, necesse est, ut filia renuntians à Patre sit congruè dotata, quod si tamen dives fuerit, & maternam consecuta hæreditatem, gratisque nulla accepta dote renuntiaverit paternæ

ternæ successioni, etiam locus est constitutioni d.e. quamvis. Covar. in d. c. p. 3. §. 2. n. 6. Fachin. l. 3. c. 24. Kellenb. de renunt. succes. q. 42. n. 27. Ratio enim legis hanc speciem comprehendit, cum renuntiationis fundamentum primariò consistat in juramento, quod servandum, si peccatum non foveat. Kellenb. d. l. Quantitas dotis autem, quæ filiæ renuntianti regulariter constitui solet, desumenda est ex facultate patrimonii, numero liberorum, dignitate mariti, & locorum consuetudine, l. 69. §. 4. ff. de jur. dot. l. 43. ff. de legat. 3. Menoch. l. 2. de arb. jud quæst. cent. 2. cas. 149. n. 16. & 17. ne filia indotata à marito odio habeatur, l. fin. C. ad SCTum Vilej. Rigiidi igitur Eucliones illi, qui filiæ vitam, & corpus genero absque cautione committere non dubitant, at dotem eidem vix, aut faltem absque fidejussoribus non concredunt, quo sit, ut conjugii fide labefactatæ gener vigilanti stertere naso, & filia Thusco modo ( ut Plaut. in cistel. act. 2. scen. 3. loquitur. id est. quando puella corpore quæstum facit ) dotem quærere assuescat, Antler in corp. constit. Tom. 2. voc. Ausſteur. n. 16. Quod eo facilius eveniet, si venusta fu-  
erit, nam

*Lis est cum forma magna pudicitiae.*

Et ad rem facit Nov. 2. cap. 3. in medio: mulieres, quæ ser-  
vant inviolatum thorum, & miramur pariter, & lauda-  
mus, & non procul à virginitate ponimus, hinc Poëta:

*Rara avis in terris Phœnix, rarissima Conjurx,*

*Quæ servat castos inviolata thoros.*

*Frustra declinant indeclinabile cornu*

*Grammaticique scholâ, connubioque viri.*

Hæc per transennam. De quantitate dotis, quæ filiabus Regum, & Principum constitui solet, vid. Sprinsfeld. de appanag. c. 12. n. 33. & seq. ubi adducit nonnulla exempla.

§. VIII.

general. c. 4. §. 51. in fin. Burgold. ad I. pac. p. 2.  
discur. 5. n. 3. & alios.

2. Camera cum Imperatore non concurrit in controversis super feudis Regalibus Imperii. Ord. Cam. p. 2. tit. 7. Ord. Regim. Wormalt. de anno 1521. §. ob aucth. Instrum. pac. art. 4. §. 51. & art. 5. §. 5.
3. An à Pontifice in Carolum magnum translatum sit Imperium, controversia est: affirmant Bellarm. Baronius, & alii; negant Ludovicus Maimbourg, Francis. duaren. cum Recentioribus. Sit problema.
4. Fæmina propter masculos à successione paterna, vel feudo semel exclusa non manent semper exclusæ. Quod contra Gail. l. 2. O. 148. Fachin. controvers. l. 7. c. 45. & alios. statuo cum Struv. S. J. F. c. 9. aphor. 8. n. 6. Finckelt. controv. feud. disp. 6. cont. 27.
5. Feudum in dubio potius præsumitur masculinum, quam fæmininum, nisi ab allegante aliud probetur.
6. Sponsalibus pœna adjici nequit C. gemma. 29. X. de sponsal. & matrim. l. 134. ff. de V. O. l. pen. in fin. C. de sponsal. Arrhe autem intervenire possunt. l. 3. & d. l. pen. C. de sponsal.
7. Liberi in matrimonio putativo nati habentur pro legitimis, ante tale matrimonium nati per illud non legitimantur.
8. Qui imprægnatam ab alio uxorem ducit, comperto postea errore eam retinere debet.
9. Non finitur ususfructus cessione extraneo facta; quod est contra communem.
10. Agenti ex interdicto uti possidetis non obstat exceptio dominii, cuius probatio statim offertur.
11. Mulier JCto Vellejano validè renuntiat: Filius Macedoniano invalidè.
12. Qui delictum confitetur, si de corpore delicti non constet, non est condemnandus.

F I N I S.

**D**otibus Ingenii mores sociare politos,  
 Illa sit ut nodo copula firma rato,  
 Congrua laus paucis, Tibi debita tota manebit,  
 Pro meritis plausum Jure duobus habes.  
 Talis erat Nestor, talis bene cautus Ulysses,  
 Si modo sit famæ, Carminibusque fides.  
 Doctrinâ laudes cumulasti sedulus omnes,  
 Se Themis ingenio contulit Alma Tuo.  
 Altera sed pulchros Tibi propter adorea mores  
 Plectitur, & vitæ, dulcis Amice, genus.  
 Quid mirum est igitur, cupimus si vera fateri,  
 Principibus poteras quod placuisse Viris.  
 Quod decus ex merito, quod tot Tibi præmia crescant;  
 Et Procerum, Genio conciliante, favor.  
 Gratulor idcirco tantos Tibi latus honores,  
 Quos addit meritis nostra Cathedra Tuis.  
 Gratulor & nobis, quibus est concessa facultas,  
 Iusta Tibi lata præmia ferre manu.  
 Totius hæc voti manet unica regula nostri  
 Sint plures alii, sint similesque Tui.

*Amicitiae ergo Viro Consultissimo  
apponere voluit, debuit*

**HENRICUS PHILIPPUS**  
**ZAUNSCHLIFFER**  
 J. U. D. Prof. Ord. & ad actum  
 Doctor. designatus Promotor.

2 1 1 1 3